

16.

Programm

des

Gymnasiums der Stadt Pyritz,

womit

zu der öffentlichen Prüfung am 23. März

ergebenst einladet

Dr. Adolf Zinzow,

Director.

Inhalt:

1. De Platonis Menexeno scr. Pror. Dr. Kalmus.
2. Bischof Otto von Bamberg. Zum 750jährigen Jubiläum der ersten Christentaufe in Pommern zu Pyritz den 15. Juni. 1124.
3. Schulnachrichten Beides vom Director.

Pyritz, 1875.
Druck von Ed. Giese.

De Platonis Menexeno disputatio.

De Platonis Menexeno et antiquiore et recentiore tempore a viris doctissimis tam copiose, tam diligenter et accurate disputatum est, ut operae fere pretium non esse videatur, materiam summo studio tractatam et in omnes partes pervestigatam denuo recipere paucis diiudicandam. Nihilo tamen secius cum propter argumentum adolescentibus, quibus Platonis dialogi ad intellegendum faciliores proponuntur, aptissimum tum propter res satis memorabiles haud scio an digna sit, quae scribendi potestate data recolatur et in usum discipulorum conferatur. Nam ut in praefando reliqua nunc praetermittam, quibus eiusmodi disputationem non modo ferendam verum etiam comprobandam putaverim, eo Platonis libro cum aliis scriptoribus comparando haud dificile perspicitur, quae Graecorum studia fuerint in artis rhetoricae genere demonstrativo, quod a Gorgia Leontino eiusque sociis inventum deinde in Graeciam, potissimum Athenas translatum eorum multitudine, qui componendis orationibus operam navabant, tantum valuit, ut aliquamdiu principatum tenere videretur. At ne quis miretur, quod Athenienses humanitate ac litterarum cultu longe praestantissimi hoc dicendi genus inprimis exercuerint, illud unum breviter monitum velim, apud eos magis quam in reliquis civitatibus genus illud demonstrativum a Siculis traditum cum legibus et institutis rei publicae maxime fuisse consentaneum. Mos enim erat Athenis, ut si qui rebus praeclare gestis in bello diem supremum obiissent, communi omnium civium luctu sollemnibusque caerimoniis elati publice in Ceramico sepelirentur. Qui quidem mos, quem auctore Diogene Laertio (Sol. cf. 8 55) ad Solonem revocandum contendunt, cum per magnum temporis spatium viguisset, ita post auctus est, ut cum sepultura interfectorum orationem, quam dicunt funebrem, coniungi vellent, qua mortui de patria bene meriti laudibus efferrentur civiumque animi ad virtutem eorum imitandam excitarentur. Quis legem orationis habendae tulerit quamquam viri docti[1]) magnopere dissentiunt ut pote qui Thenistoclem, vel Aristidem vel Cimonem auctorem significent, tamen quo tempore publice sit constituta, dubitari fere nequit. Velut enim Athenienses bellis Persarum singulari atque eximio libertatis amore fundamenta magnitudinis gloriaeque iecerunt ipsique tot tantisque rebus gestis digni videbantur, qui principatum totius Graeciae prope iure suo sibi sumerent, sic in primis eorum memoriam, quorum operae studioque rei publicae dignitas maxime deberetur, animis piis gratisque consecrandam censuerunt. Qum ob rem non est, quod miremur, orationem illam funebrem ea primum aetate haberi coeptam locum obtinuisse, donec tempore posteriore, non abolita quidem illa, etiamsi sepultura publica non fiebat, quotannis vel media pace usurpabatur in honorem civium superioribus omnibus bellis interemptorum. Quod utrum

[1]) cf. interpretes ad Thucyd. II, 35.

statim post bellum Peloponnesiacum an spatio plurium annorum intermisso sit institutum, non satis liquet; certe Demosthenis aetate, cui laudes virorum apud Chaeroneam occisorum erant demandatae, sepulturae publicae nullam fieri mentionem cognoscitur. Qualis ea fuerit cum ex aliis oratorum scriptis facile conicias tum ex narratione Thucydidis praestantissima (cf. Thuc. II, 35 sqq.) cernitur, quo loco scriptor ille gravissimus Periclem apud Athenienses ita loquentem facit, ut, quamvis oratio funebris dictionem Thucydidis pressam et obscuram maxime ostendat, tamen haud dubie sublime Periclis ingenium exhibeat et sententias ab eo tum pronunciatas vel eius sentiendi cogitandique rationi convenientes. Neque dubitari potest, quin oratores posteriores qui hoc in eloquentiae genere versabantur, orationem sive Thucydideam sive Pericleam ad imitandum sibi delegerint; quamquam multum aberat, ut exemplar illud praeclarum aequipararent. Nam cum nihil spectarent, nisi ut more consueto laudibus occisos et universam civitatem rebus ipsis callide variandis et exornandis apud populum Atheniensem efferrent, Pericles, ut erat rei publicae gubernandae peritissimus, rerum potius conditionem praesentem quam laudationem inanem proponendam sibi putavit. Cum vero Thucydides id maxime ageret, ut tamquam lineamenta sepulturae sollemnis describeret, et indolem moresque Pericles oratione quam posset clarissime ostenderet eis, quae levioris momenti videbantur, commemorandis eum supersedisse, non est quod miremur. Itaque quae de certaminibus musicis et gymnicis postremo adiunctis et in Menexeno Platonis c. 21 et apud Lysiam (cf. ἐπιτάφιος § 80.) expresse traduntur, ea quoque ad Thucydidis tempus pertinere merito conicias, nam ex huius scriptoris reticentia tunc ludos instituendi morem omnino defuisse, minus recte concluditur.

Quibus praemissis cum ad ipsum sermonem accuratius tractandum iam perrecturus sim, argumentum paucis explicare non alienum videtur. Nomen traxit liber a Menexeno Paeaniensi, Demophontis filio, qui Socrate satis diu familiariter usus inter eos a Platone numeratur, (cf. Phaedo cap. 2.) quorum tanta erga praeceptorem erat caritas, ut vinctum deserere non auderent nec, omnibus aufugiendi consiliis constanter repudiatis, morienti deesse vellent. At quod amicis philosophi compluribus accidit, qui quamvis Socratis audiendi valde studiosi tamen, ut ita dicam, vix primoribus labris eius doctrinam gustaverant, idem, ni fallor, inprimis cadit in Menexenum. Qua de causa licet iusto acrius iudicaverit, cum Gottleberus[1]) ingenium adferre parum docile ob morum perversitatem stolidumque hominem et vanum habendum dicit. Utut est, Menexenum ex curia digressum Socratem forte convenisse fingitur et interrogatum num rempublicam capessere coepisset, confestim respondisse, non idcirco in curiam se processisse, sed quod exploratum haberet, fore ut senatus deligeret, qui cum cives proeliis interfecti sepelirentur, publice verba faceret. Quibus Socrates auditis cum e Menexeno quaesivisset, quem ad dicendum designassent,[2]) hic electione in posterum dilata neminem esse creatum respondit, sed haud dubie futurum, ut aut Archino[3]) aut Dioni[4]) loquendi partes committerentur. Ad haec Socrates non sine aliqua irrissione dicit, pulchrum sibi videri proelio necari, nam si quis esset pauper, compotem fieri sepulturae magnificae, siquis malus, ab hominibus sapientissimis eius laudes sive veras sive affictas efferri oratione diligenter elaborata

[1]) Platonis Menexenus et Periclis Thucyidei oratio funebris. Recensuit Ioh. Chr. Gottleber.

[2]) Quod Thucydides II, 34 Periclem, virum auctoritate consilioque insignem, qui orationem funebrem susciperet, a civibus esse delectum confirmat, non multum a Platonis sententia discedit.

[3]) Archinus cum Thrasybulo reversus patria liberanda civitati bene consuluit.

[4]) Dion ob virtutem saepius spectatam una cum Conone ad Tiribazum ab Atheniensibus est delegatus. cf. Xen. Hellen. I, 8. 13

eademque sententiis venustis et verbis elegantibus ita compossita, ut qui audirent velut praestigiis deciperentur et praestantiores ac meliores tunc sibi viderentur, cum non solum mortuos sed etiam vivos et universam rem publicam mirum quantum praedicari sensissent. Nec aliter peregrinorum, qui casu adessent, animos affici, ut Atheniensium civitatem multo venerabiliorem quam prius existumarent et augustiorem. Quibus cum Socrates ad irrisionem manifestius declarandam addidisset, eiusmodi oratione se sui paene oblitum paulo plus tribus diebus, ubi terrarum esset, nescire, Menexenus consilio Socratis intellecto, qui deridere consuerat oratores, eum subitum venisse delectum monet, ut quisquis dicturus sit, ex improviso fere verba facere cogatur. Ac ne tum quidem, inquit Socrates, arduum est, de his rebus apud Athenienses absque meditatione dicere, perarduum sane apud Lacedaemonios, quibus haud ita facile de virtutibus Atheniensium persuaderi possit. Interrogatus a Menexeno, num, si opus esset, si a senatu ipse caperetur, ad dicendum promptus paratusque sibi videretur, Socrates non cunctatus affirmat, utpote qui artem rhetoricam ex Aspasia didicerit, cum multorum eloquentium virorum tum Periclis magistra doctissima. Quae cum, ut assolebat, iocose paucis explicasset et lepore quodam usus adiecisset, Aspasiam ipsam quae diceret petenti sibi ostendisse reliquiis ex oratione Periclis funebri compositis, a Menexeno impulsus, ut sive ex Aspasia sive ex quolibet alio comperisset, eloqueretur, huius argumenti orationem habere coepit: In exordio quidem postquam de lege publice constituta nonnulla praemisit, ac de consilio, quo defunctos satis laudaret orator, superstites benigne moneret, filios eorum fratresque ad virtutem imitandam incitaret, parentes, si qui superessent, verbis consolaretur, materiam propositam ita distribuit, ut primum generosam mortuorum stirpem, tum eorum educationem ac disciplinam ostendere in animo habeat, postremo, qua ratione rebus bene gestis eiusmodi honoribus dignos se praebuerint, copiosius sit dicturus.

Quod Athenienses indigenas ipsorum fuisse maiores nec aliunde profectos in Atticam prae ceteris Graecis gloriabantur, ut posteri re vera semper in patria habitarent atque viverent, oratoribus[5]) laudes Atheniensium celebrantibus tam fuit usitatum, ut etiam Socrates ab eodem initio exorsus antea patriam quasi communem mortuorum matrem praedicandam existumet. Est vero digna, inquit, quae laudetur non solum ab Atheniensibus sed ab omnibus hominibus, propter eam potissimum rem, quia deis est carissima. Deos enim ipsos de terrae possessione certasse memoriae proditur, id quod fabulae, quibus primordia civitatis augustiora efficiuntur, manifesto declarant. Accedit, quod Attica iure princeps cultus et humanitatis sedes ducitur, quippe quae eiusmodi animalia frugesque procreaverit, ut homines ratione deorumque cognitione praeditos alere posset. Nam prima edidit ex gremio suo frumenta, triticum atque hordeum, quibus commodissime genus hominum nutritur; prima porrexit incolis oleum, quod ad labores sustinendos plurimum valet; postremo dei vitam nostram ea re bene conformaverunt, quod et artes ad victum cotidianum spectantes et armorum usum ad patriae custodiam maxime idoneum maiores nostros docuerunt. Dein rei publicae forma cum natura terrae consentiens effecit, ut maiores existerent tales, qui rebus bene gerendis pares essent, nomine quidem imperium populare (δημοκρατία) re optimatium dominatio, in qua magistratus et honores eis, qui ceteros virtute antecedunt, civibus committantur, ut neque paupertatis neque humilis stirpis ratione habita, quisquis et sapiens et bonus adparet, qui aliis imperet, videatur dignissimus. Est igitur optimatium gubernatio cum quadam auctoritate populi coniuncta. (μετ' εὐδοξίας πλήθους ἀριστοκρατία) Ut tamen Atheniensium respublica talis

[5]) cf. Isocrat. Panegyr. c. 4. Panathen. c. 48. Herod. VII, 161. Thucyd. I, 2.

evaderet, qualem semper se praebuit, ea potissimum causa effecit, quod omnibus eadem est origo, (ἡ ἐξ ἴσου γένεσις) ex qua re necessario sequitur, cunctos pro fratribus ac filiis eiusdem matris habendos esse, cunctos uti iuris legisque aequabilitate (ἰσονομία κατὰ νόμον) neque quem quam alia re cedere nisi virtutis ac sapientiae existimatione. (ἀρετῆς δόξῃ καὶ φρονήσεως.)

Quid igitur mirum, ait Socrates, quod et maiores nostri liberaliter educati multa praeclare gesserunt, et illi vita defuncti a virtute patrum non degeneraverunt, qui publice privatimque tales erant, ut de libertate contra Graecos barbarosque pugnarent neque, cum Eumolpus adscitis Amazonibus ipsis bellum inferrent, fortiter adversari dubitarent vel Argivos a Thebanis et Heraclidas ab Argivis defendere vererentur. At quoniam eas res, quae a poëtis celebratae in omnium ore ac sermone sunt, ad antiquissimum tempus historiae luce minus illustratum referri oportet, eorum meminisse magis iuvabit, quae contra potentissimam Persarum gentem Athenienses optime perfecerunt. Postquam Socrates paucis declaravit, quibus causis ingens illud regnum creverit, de rebus singulis ita disserit, ut primum qui contra Darei duces apud Marathonem victores dimicaverant, praecipua laude dignos existumet, quod Persis repulsis reliquos Graecos luculenter docuerunt, quomodo barbarorum copiae fortitudine constantiaque possent debellari. Quamvis enim Athenienses, quae sibi fortuna foret devictis, ex Eretriensium casu satis intellexissent, nequamquam tamen sunt deterriti, ne pro sua Graecorumque libertate cum hostibus confligerent eamque quasi patrimonium posteris traderent. Quod pugna Marathonia susceptum erat opus, non minore peregerunt virtute, qui circa Salaminam Artemisiumque proeliis navalibus Persas vicerunt, quam ob rem illis secundam palmam tribuere decet, ut qui Graecis ne navales quidem Medorum opes timendas esse ostenderint: absolverunt postremo summa cum gloria, qui clarissimam ex barbaris apud Plataeas victoriam reportaverant, qua viribus fere totius Graeciae consociatis omnium Graecorum libertas adeo defendebatur, ut Persarum rex cladibus apud Eurymedontem Cyprique acceptis de maritimo imperio cum Atheniensibus decertare non auderet nedum in Graeciam ipsam invadere conaretur.

Maiores, pergit Socrates, postquam rebus bene gestis rem publicam et ornatissimam et potentissimam reddiderunt, fieri sane non potuit, quin, ut invidia gloriae comes esse solet, haud magno spatio temporis intermisso, cum Graecis de principatu contendere coacti pro libertate Boeotorum apud Tanagram et Oenophyta contra Thebanos Lacedaemoniosque dimicarent. Vehementius tamen non ita multo post exarsit bellum Peloponnesiacum, quo Graeci, quid Atheniensibus deberent, prorsus obliti magnis copiis in Atticam ingressi ferro ignique devastabant. Athenienses autem, quamvis facinoribus illis exacerbati, tantum aberat, ut eis par pari referrent, ut Lacedaemoniorum ducibus apud Pylum victis captisque benigne parcerent pacemque facerent, adversus eiusdem nationis homines sic pugnandum esse rati, ut victoria potirentur, in barbaros ad internecionem. At ne id quidem parvi aestimandum, quod cum Graecia partibus agitaretur, eis contigerat, ut, qui ceteris praeerant, eisdem ipsi per se superiores proelio discederent. Qui cum bellis utroque gestis supremum diem obiissent, ut in patria publice sepelirentur, pro suis in rem publicam meritis impetraverunt: non impetraverunt et quicunque pro Leontinorum salute cum hostibus exteris identidem congressi ac duriore calamitate conflictati locis longinquis morti succubuerunt, et qui Lacedaemoniorum navibus apud Mitylenen partim fugatis partim demersis e mari non sublati foede perierunt. Sic Athenienses ad certamen in ceteros Graecos subeundum prompti ea quoque re multo ceteris praestabiliores erant, quod ne tristissima in rei publicae conditione Persarum auxilium implorabant sed suis viribus confisi potius agendum quam societatem barbarorum Graeciae liber-

tati perniciosissimam sibi petendam esse putabant. Itaque non ab aliis civitatem nostram devictam sed intestinis dissensionibus deiectam ac profligatam recte dixeris, quibus compositis quanta fuerint Athenienses placabilitate, quanta in factionem superatam clementia, quanto inimicis ignoscendi studio, inter omnes satis constat, et ipsi vidimus. Quae post haec secuta est pax effecit, ut civitas nostra tot tantisque tempestatibus vexata rerum externarum ratione non habita quitem ageret Lacedaemoniosque, qui nihil a nobis sibi timerent, in Graecia dominari licentius sineret, non tam Persis irata quam Graecis, qui cum barbaris foedus iniissent et navibus Atheniensium deletis moenibusque funditus dirutis, in quibus aliquando communis omnium salus constiterat, pravam rettulissent gratiam. At cum Lacedaemoniorum superbia maior singulis videretur, quam ut aliquo modo ferri posset, Argivi, Boeoti, Corinthii periculis repellendis impares eo sunt adducti, ut auxilium nostrum implorarent, vel ipse rex Persarum ad illos debellandos nullam sibi salutem nisi nobis auxiliantibus reliquam fore crederet. Qua re si quis reprehendere nos voluerit, nihil profecto erit quod magis opprobrio vertat, quam quod civitas consilii superioris immemor, a quibus prius iniuriam acceperat, eis servandis eximiam navavit operam. Itaque quamvis Graecis non deesset, tamen regi subvenire noluit, verita ne foedere facto tropaeis post victorias illas constitutis ignominiae notam inurerent. Athenienses autem, cum privatis in Persarum exercitu militare permitterent, urbe denuo muris firmata navibusque aedificatis publice pro Pariis bellum contra Lacedaemonios subierunt. Neque vero multo post rex quoniam et Lacedaemonios in angustias redactos a bello navali desistere animadvertebat et civitatis nostrae timebat incrementa, tantos sibi spiritus sumpsit, ut rebus suis auctis non contentus Graecos Asiam incolentes exposceret. Quod quidem postulatum quamvis iniquum esset ac turpe, tamen tantum aberat, ut reliqui prorsus abnuerent, ut si pecuniam solveret, eius voluntati obsecuturos se pollicerentur. Sola civitas nostra talem conditionem graviter tulit, nec ut iure iurando obstringeretur, propter insitum nominis Graeci amorem adduci potuit, qua re factum est, ut Athenienses a sociis deserti barbaris iterum adversarentur, meliore tamen quam prius eventu, quia navibus et coloniis instructi pericula belli facile reppulerunt. Quis igitur dubitat, quin et illi, qui Corinthi vel locorum iniquitate vel proditione Lechaei fortiter pugnantes occisi sint, et qui Lacedaemoniis a mari depellendis mortem oppetierint, laudem nostram ac venerationem mereantur?

Haec quidem verba facit orator de causa defunctorum. Antequam tamen loqui desinat, natos eorum adhortatur, ut perinde atque in bello maiorum ordinem servent neve per ignaviam aufugiant sed quam optimi evadere contendant. Deinde, tamquam a mortuis mandata perferre iussus sit, ad eorum filios conversus admonet, ut patrum similes fieri studeant. Nobis — sic eos facit dicentes — etsi sine laude gloriaque vivere licuit, turpi tamen vitae mortem praetulimus, ne aut vobis aut posteris vestris essemus dedecori, neve maioribus nostris maculas adspergeremus. Dictorum nostrorum mementote, quod si feceritis quidquid agitis, cum virtute agetis, qua remota omnes vestrae fortunae et omnes exercitationes malae ac turpes fiant oportet. (cf. cap. 19 ἐάν τι καὶ ἄλλο ἀσκῆτε, ἀσκεῖτε μετ᾽ ἀρετῆς, ὅτι τούτου λειπόμενα πάντα καὶ κτήματα καὶ ἐπιτηδεύματα αἰσχρὰ καὶ κακά.) Agite igitur, ut nos maioresque vestros gloria superetis, quod quin adepturi sitis, non est dubium, si ea ratione vitam instituatis, ut illa non abutamini nedum profundatis. Quid enim turpius, quam ipsum quidem dignitatis expertem sola maiorum laude honorari, quid magis dedecet quam propria virtute non ornatum rerum a parentibus bene gestarum splendorem posteris tradere corruptum ac depravatum? Quod si perfeceritis,

quae nos a vobis petimus, vitae demum fatis exactis benigne vos excipiemus, sin neglexeritis, libens nemo vos accipiet.

Tum parentes filios interfectos lugentes illorum nomine tali modo consolatur, ut quam lenissime ferant iacturam, quod a deis semper rogaverint consecuti; quia non immortales sibi filios natos esse cupierint sed bonos ac praeclaros. Cum autem nulli mortalium omnia bene succedant, casus moderate constanterque sustinendo fortibus filiis dignos sese praestarent, quod si non faciant, futurum ut aut eorum omnino non videantur patres, aut, qui laudent ipsos, mendacii coarguant. His praemissis orator locos quosdam communes cum re minus arcte connexos adiungi voluit, quibus quid sit moderatio, quid fortitudo, quid sapientia, paucis ostendit. Nam ut Ciceronis verbis utar (cf. Tusc. V, 12) ex Menexeno ad sententiam translatis: „cui viro ex se apta sunt omnia, quae ad bene vivendum ferunt, nec suspensa aliorum aut ¦bono casu aut contrario pendere ex alterius eventis et errare coguntur, huic optime vivendi ratio comparata est: hic est ille moderatus, hic fortis, hic sapiens; hic et nascentibus et cadentibus cum reliquis commodis tum maxime liberis parebit et oboedict praecepto[6]) illi veteri; neque enim laetabitur umquam nec maerebit nimis, quod semper in se ipse omnem spem reponet sui.“ Pariter enim, inquiunt defuncti, ac nosmet ipsos iam tales exhibemus, ut neque succenseamus neque nimis vereamur, cum moriendum nobis fuerit, a vobis petimus, nt eisdem, quibus nos, animis affecti reliquam vitam degatis ac memineritis, non eiulando nec lamentando vos nobis obsecuturos, si quis est his, qui obierunt, sensus, (εἴ τίς ἐστι τοῖς τετελευτηκόσιν αἴσθησις τῶν ζώντων) sed calamitatibus moderate ferendis gratificaturos, cum praesertim res nostrae finem, qui pulcherrimus ab hominibus habetur, mox impetraturae sint, ut eas magis ornare quam lamentari deceat. Plurimam vero gratiam nobis haud dubie referetis, cum liberis nostris ac mulieribus prospicientes effeceritis, ut casus obliti pulcrius et rectius nobisque iucundius vivant.

Relinquitur postremo, ut orator defunctorum ad rem civitatem publicam mandata perferat, quibus patrum filiorumque cura civibus commendetur. Sed huic negotio supersedere posse sibi visus est, civitatem cum in aliis rebus diligentissimam tum ad iuvenes educandos et exercitandos maxime intentam sua sponte officio non defuturam ratus. Itaque in ultima orationis parte quae dicere iussus est, postquam pro facultate dicendi absolvit, singulos deinceps cohortatus denuo rogat, alios, ut suos aemulentur, alios, ut de se ipsis bene sperantes suam suorumque salutem civitati fidenter committant, quae non modo pueros patribus orbatos ex legibus nutriendos omnique artium genere erudiendos curet, sed etiam cum adoleverint, eis sanctissime caveat, ut armorum usu satis instructi ad virtutem patriaeque amorem conformentur et eorum, in quae patres incubuerant, memores ex institutione publica dimittantur idonei, qui rebus domesticis summa cum dignitate praesint. (cf. cap. 21. καὶ ἐπειδὰν (παῖδες) εἰς ἀνδρὸς τέλος ἴωσιν, ἀποπέμπει ἀρχή, ἥπερ μεγίστη ἐστίν, ἐπὶ τὰ σφέτερ' αὐτῶν, ¦πανοπλίᾳ κοσμήσασα, ἐνδεικνυμένη καὶ ἀναμιμνήσκουσα τὰ τοῦ πατρὸς ἐπιτηδεύματα ὄργανα τῆς πατρῴας ἀρετῆς διδοῦσα καὶ ἅμα οἰωνοῦ χάριν ἄρχεσθαι ἰέναι ἐπὶ τὴν πατρῴαν ἑστίαν ἄρξοντα μετ' ἰσχύος ὅπλοις κεκοσμημένον. Omnium ordinum homines ita consolatus orator promittit fore ut cives defunctorum memoriam piis gratisque animis recolere numquam desinant sed certaminibus et gymnicis et musicis quotannis concelebrent; quo facto suam quemque domum decedere iubet.

Ex eis, quae de Menexeni argumento scripsi, facile cognoscitur, necessitudinem intercedere inter Platonis dialogum et Periclis orationem funebrem a Thucydide traditam, quae

[6]) cf. proverbium illud Chilonis μηδὲν ἄγαν.

necessitudo cum mu tis aliis locis perspicitur tum in sententiis distribuendis et explicandis maxime adparet. Omissa enim quaestione de duabus Periclis orationibus, quarum alteram in cives bello Samio interfectos rite laudandos habitam esse Plutarchus[7]) testatur, funebris illa Thucydidis est eiusmodi, ut pauca de partibus laudatoris difficillimis praefatus primum de gloria maiorum dicat eorumque, qui Atheniensibus auctores rei publicae magnopere auctae fuerunt; deinde quae sit disciplina civitatis exponat, tum qua ratione Athenienses alias civitates sibi conciliaverint, conciliatas in amicitia retinuerint explicet. His autem studiis, ait Pericles, fieri non potuit, quin rem publicam nostram multi sibi sumerent imitandam, vel adversarii opes eius ac magnitudinem admirarentur, pro qua quam pulcrum esset atque decorum mori non ignorantes mortem libenter obierunt, qui novissimis proeliis sunt occisi. Quae cum ita sint, defunctorum parentes rebus humanis sapienter considerandis in gloria filiorum multum solatii repositum invenient, fratres autem ac filii tanto magis elaborabunt, ut illis virtute non inferiores videantur, viduae magnam laudem adipiscentur, sin pristina natura sexuque non desciverint operamque dederint, ut quam minimum rumoris sive in bonam sive in malam partem de moribus suis inter viros divulgetur; postremo liberi patribus orbati, qui nondum ad aetatem puberem pervenerunt, mox intellegent quam honestam sui curam civitas agat, quo vehementius ad aemulandum impellantur.

Periclis oratione parvis adumbrata lineamentis neminem fugit, Platonis Menexenum ad praeclarum illud exemplar compositum multa habere, quae cum Thucydidis sententiis congruant. Neque mirum, nam in Phaedro[8]) definite legitur, quemadmodum Plato de Periclis eloquentia iudicaverit, quem praeter indolem Anaxagorae praeceptis temperatam philosophiam ac singularem animos regendi facultatem ad dicendum adhibuisse confirmat. At non minoris momenti sunt ea, quibus orationes illae diverso consilio scriptae inter se discrepant. Cum enim Periclea in praesentem rerum conditionem sic comparata sit, ut Athenienses tempore gravissimo, quo bellum Peloponnesiacum diu gliscens tandem exarserat, laetissimam praeberet spem nec eos suis rebus diffidere sineret, dignitatem illam amplissimam ubique prae se fert, ab inani dictionis ornatu alienam et ad finem animo conceptum unice accommodatam. Itaque factum est, ut posthabitis vel breviter prolatis eis, quae de laudibus Atheniensium rebusque ante gestis ab oratoribus praedicari et aequo plus augeri solebant, ad rei publicae formam dilucide declarandam imaginemque vitae cotidianae civibus illustrandam maxime incumberet. Fieri sane potuit, ut in ipsis Atheniensibus reperirentur, qui omni ordinum discrimine sublato totiusque populi constituto imperio timerent, ne civitas nimia libertate debilitata infirmior esset, quam quae Lacedaemoniis, qui maiore legum morumque severitate continerentur, bello diuturno resisteret. Quod cum intellexisse videretur, nihil antiquius habuit, quam ut eiusmodi curis remotis doceret, quibus rebus Athenienses antecederent Lacedaemonios prisco illo vivendi agendique genere assuefactos, qui temporibus mutatis ipsi nihil essent mutati. Quid igitur hoc loco copiosius in medium ea proferre opus erat, quae vel ex fabulis hausta vel a poëtis decantata vel cuique civium notissima voluntati consilioque Periclis minime responderent? Ceterum si quae commemorare non omisit, quibus animos sibi propitios redderet, bene, ni

---

[7]) cf. Plut. vita Periclis c. 8. ὁ δὲ Στησίμβροτός φησιν ὅτι τοὺς ἐν Σάμῳ τεθνηκότας ἐγκωμιάζων ἐπὶ τοῦ βήματος ἀθανάτους ἔλεγε γεγονέναι καθάπερ τοὺς θεούς. cf. Aristoteles in Rhet. lib. III, cap. 10.

[8]) cf. Phaedr. 270, A. τὸ γὰρ ὑψηλόνουν τοῦτο καὶ πάντῃ τελεσιουργόν — ὃ καὶ Περικλῆς πρὸς τῷ εὐφυὴς εἶναι ἐκτήσατο: προςπεσὼν γάρ, οἶμαι, τοιούτῳ ὄντι Ἀναξαγόρᾳ — ἐντεῦθεν εἵλκυσεν ἐπὶ τὴν τῶν λόγων τέχνην τὸ πρόσφορον αὐτῇ.

fallor, instituit, quod ea magis attingi quam pluribus explicari voluit. (cf. Thuc. II, c. 36) Itaque Platonis Menexenus licet nonnullis in rebus cum Thucydide conveniat, cum praesertim Socrates ipse reliquias quasdam ex oratione Periclis funebri contexuisse se fingat, ab hac tamen longe recedit et propius accedit ad eam, quae vulgo in orationibus Lysiae hodie fertur. Quae oratio utrum vere Lysiae sit tribuenda, id quod plerisque placet, an cum Scheibio[9]) aliisque ab eo videatur abiudicanda, hoc loco missum facio, quamquam horum sententia multis ac firmis argumentis non evincitur. Quod enim laudationem cum ceteris eiusdem scriptoris praeclari maximeque in causis versati orationibus universo dicendi genere minus congruere disputant, a vero quidem non aberrat, tamen eam spuriam habendam Lysiaeque subditiciam magis speciosius quam rectius contendunt.

Lysiae epitaphio quae necessitudo cum Platonis Menexeno intercedat eodem feretempore scripto nemo est, quin intellegat. Praeterquam enim quod uterque ad eos, qui bello Corinthio sunt interfecti, laudandos pertinet, in utroque singulas res eodem sententiarum ordine tractari cognoscimus. Post exordium brevius absolutum, quo virtutem defunctorum verbis non satis exprimi nedum spatio definito commode proponi posse demonstrat, orator de certaminibus proeliisque vetustissimis agit, quae prisci Athenienses adversus Amazones, Argivos, Eurystheum non alia de causa suscepisse traduntur, nisi quod hominum exulum et iniuriis affectorum eos magnopere miserebat, quos pro pietate iustitiaque ab aliorum vi superbiaque defendendos putabant (§. 7—16). Nec minore laude digni videntur, propterea quod non undique collectis sed ex terra, quam incolebant, ortis eam re vera patriam eamdemque quasi matrem spectare licebat, (§. 17 ἀλλ᾽ αὐτόχθονες ὄντες τὴν αὐτὴν ἐκέκτηντο καὶ μητέρα καὶ πατρίδα) et quod abolito regno liberae rei publicae constituendae fuerunt auctores, quippe qui civium concordia summam libertatem contineri crederent. Sic, quod apud Thucydidem scriptum legitur (II, 36) factum est, ut sua sponte legibus obtemperarent, et si quis eis loquendo persuaderet, libenter obsequerentur. (§. 19) Generosa quidem stirpe natos magnoque consensu ductos (φύντες καλῶς καὶ γνόντες ὅμοια) maiores in perpetuam memoriam praeclare multa efficere non dedecuit. Sequuntur deinde res ab Atheniensibus Persarum bellis gestae, (cf. §. 20—47) quibus in enumerandis Lysias ab historiae fide plerumque non dissentit, saltem in enarrandis pugnis Marathonia et Plataeensi, quas oratione simplici ac temperata percurrit. Verum enim vero in describendo navali proelio apud Salamina ultra modum vagatus ornate dicendi studio tantopere rapitur, ut singula quaeque, tamquam ipse certamini adfuisset, inepta ratione proferat. Graecia liberata Perisque adeo devictis, ut ne mare quidem tenere conarentur sed ipsorum regnum tueri cogerentur, Athenienses principatum adipisci merito convenit. Quae tum contra nonnullas Graecorum civitates ab eis susceptae erant contentiones, ex quibus unam prosequitur, cum ex inimicitiis mutuis denuo coortis tum ex invidia, qua res Atheniensium admodum auctas timebant, iure deducuntur. Corinthii enim, quo tempore Athenienses ancipiti bello districti classem in Aegyptum dimiserant et in Aeginetas rebellantes dimicabant, oblata occasione Megarensium fines transgressi nihil profecerunt sed ab eis duce Myronide fugati sunt, qui vel propter aetatem militia vacabant vel ob iuventutem arma ferre nondum poterant. Ceteris praetermissis certaminibus, ex quibus Athenienses partim superiores partim hostibus inferiores evaserant, Lysias vix novi quicquam adiecit, nisi forte, quod ex eis quae praecedunt, facile collegeris, neque Persarum regem alienam terram posthac appetivisse confirmat et Athenienses per annos septuaginta reliquis praefuisse testatur. Levius autem, id quod in laudatore minus

[9]) cf. praef. edit. pag. 79. Steinhart. prolegomena ad Menex. adn. 43.

miramur, bellum Peloponnesium transcurrit, quo celerius, credo, a calamitate malisque, quibus opes et splendor Athenarum diruta sunt ac sepulta, animi civium averterentur neve dolore magnitudinis amissae afficerentur. Itaque cum solam cladem in Hellesponto vel ducum inertia vel deorum voluntate acceptam non plane omisit, Athenienses in rebus adversis non minores fuisse docet, quibus attenuatis ac prostratis Persarum rex consilia sua Graeciae perniciosa denuo recepit, et firmissimo libertatis praesidio foede sublato dominationes in compluribus civitatibus extiterunt. In ipsis autem Atheniensibus rerum conditione tristissima virtus illa praeclara tunc adparuit, cum tyrannis expulsis imperioque populi redintegrato id maxime spectabant, ut incommodis resarciendis operam darent et omnem industriam ad oblivionem superioris dissensionis conferrent. Ad extremam orationis partem progressus Lysias eorum, qui bello Corinthio mortem obierunt, ita mentionem facit, ut, quantopere Lacedaemoniis bonis alienis invidere consuerint, Athenienses ad clementiam veniamque fuerint propensi, primum ostendat, deinde, quibus de causis illi, qui cum Corinthiis coniuncti dimicaverant, iure celebrandi sint, paucis explicet. Maiorum enim moribus ac disciplina eruditi non praetermiserunt, quin eorum existimationem comprobarent et, quales essent, sua virtute demonstrarent, sed fundamentis novae gloriae positis rem publicam in integrum restituerunt. Quae cum ita sint, defunctos illos, qui nihil virtute pluris aestimandum putarent, ab omnibus desiderari, a propinquis et necessaris, quos orbatos reliquerunt, per reliquam vitam lugeri oportet. At illis ea sola referri poterit gratia, cum et parentes eorum pariter atque illi magni duxerimus et liberos dilexerimus, tamquam ipsi patres simus, et feminis tales nos praestiterimus auxiliatores, quales illi fuerunt vivi. Denique non habeo, inquit orator, cur haec querar et naturae casus gravius feram, nam quia omnibus certe moriendum est hominibus, eos, qui rem maximam pulcherrimamque periclitati animas efflaverint nec senectute confecti deperierint, magis felices praedicandos quam lugendos esse censeo, quoniam sempiterna vigebit eorum memoria certaminibusque faciendis ad immortalitatem perveniet.

Argumento sententiisque quam prope Lysiae epitaphius accedat ad Platonis Menexenum non est, quod moneam. Quamvis autem uterque ab eisdem principiis ductus eumdem materiae tractandae modum exhibeat, in singulis tamen discrimen haud exiguum agnoscitur, in eis quidem maxime, in quibus rationes ac causae partium requiruntur. Desideratur enim, ut hoc praemittam, in epitaphio Lysiae certus ac necessarius sententiarum progressus, qualis apud Thucydidem luculenter exstat, in Menexeno saltem non deest. Ac primum quidem cum Socrates causis aliquot allatis insequentis sermonis viam invenerit, Lysias orationi nihil fere, quod ad consilium pertinet, praefatus ad res Atheniensium vetustissimo tempore gestas accingitur enumerandas, de quibus tam copiose, tam diligenter agit, ut de laudibus Athenarum potius quam de mortuorum laudatione dici crediderit. Itaque quod in Isocratis panegyrico minus displicet, in epitaphio iure vituperatur, qua propter, si quid eorum proponendum fuit, quam brevissime confici oportuit. Eo vero magis miretur quispiam, quod munera divina deorumque de terra possidenda certamina, quibus Athenienses in primis gloriatos esse constat, prorsus praeteriit nec facultatem orationis verbis et figuris ornandae oblatam arripuit. Cum enim donis ultro datis suam in Athenienses gratiam dei significasse fabulis antiquissimis dicerentur, sine dubio factum est, ut ipsi pietate imbuti parem eis largirentur voluntatem atque de reliquis Graecis et universo hominum genere optime mererentur. Sic belli pacisque artes edocti ceteros scientiam non celabant sed cum eis sua sponte communicabant, et suum esse rati debellare superbos, inopes tueri numquam ab officio mandato destiterunt neque quicquam antiquius habuerunt, quam ut aequum iustumque defenderent. Quae quidem eis tanto magis facere

licuit, quanto reliquis iustitia et aequitate superiores terram incolebant non vi dolove captam sed hereditate acceptam, non forte obsessam sed a deis traditam et institutam. Quod igitur Lysias Athenienses αὐτόχθονας recte praedicandos publicaeque libertatis auctores habendos esse censet, in hoc videtur errasse, quod necessario sententiarum ordine minus servato, ex quibus reliqua sequebantur, ea non in capite sed in fine partis primae posuit. In recensendis eis, quae Athenienses contra Persas gesserunt, quamquam orator a vero non digreditur, magis tamen in singulis afferendis et augendis acquievit quam eorum, quae facta sunt, vim ac rationem callide perspexit. Quod enim Socrates in Menexeno praeclare dicit, Athenienses certaminibus illis susceptis non modo suam libertatem retinuisse sed etiam totius Graeciae magistros evasisse, frustra quaeritur apud Lysiam, cuius argumentatione in eisdem sententiis ac praeceptis versata hoc unum demonstratur, Athenienses reliquorum licet auxiliis privatos nec ingentibus Persarum copiis perterritos servituti vitaeque ignominiosae longe praetulisse mortem gloriosam: idemque opinione quadam falsa deductus cum in narranda pugna Plataeensi perpaucis moneat, quantopere de libertate tuenda Lacedaemonii ceteraeque civitates meriti fuerint, illud quidem, quod ipsis Atheniensibus est summae tribuendum laudi, nulla causa praetermisit. Quanti concordiam aegre constitutam sustentari Atheniensium tunc interfuerit, vel ex eo potissimum conicitur, quod post tot tantosque successus tam moderate se gesserunt, ut summam imperii Lacedaemoniis sua sponte concederent nec inimicitiis denuo susceptis opus liberandae Graeciae deleri vellent. Id quoque forsitan mireris, eorum, quae non multo post accidebant, factorum Lysiam aliud nihil attigisse nisi exiguum illud Myronide duce proelium, eis vero, quae Athenienses ad debellandum regem Cimonis ductu moliebantur, fere omissis rem gravissimam perpaucis modo verbis absolvisse. Quod porro Athenienses non ipsorum malitia nec hostium fortitudine consilioque profligatos esse contendit, a vero tantum abhorret, ut audientes vel legentes orationi non diffidere non potuerint, cum praesertim, quantum a maiorum virtute degenerassent, ipsi non ignorarent. Quanta post devictos Athenienses universam Graeciam calamitas afflixerit, cum Persarum rex propter Graecorum dissensionem potentiam amissam facile recuperaret, postquam leviter transgressus tantum modo perstrinxit, eo plura, sicut par erat, de rebus ab exulibus tam peractis dicit, ubi quo fuerint Athenienses patriae libertatisque amore fusius quidem disputat, pauca de factionis popularis placabilitate clementiaque profert. Quamquam Socrates eodem fere modo de rebus eisdem locutus est, tamen eas Atheniensium virtutes in ipsorum moribus positas et ex insito propinquitatis sensu progenitas magis illustravit et in ceteris orationis partibus luculentis exemplis clarius patefecit. Ad epilogum denique transgressus Lysias orationem suam instituit potius ad excitandam civium misericordiam quam ad confirmandos eos et reficiendos, potius ad luctum eorum, qui dolebant, augendum quam ad parentes defunctorum consolandos ac liberos in spem meliorem erigendos. Nec in eis, quae de communi omnium fato magnaque mortuorum felicitate postremo sequuntur, multum profecit, cum Socrates, quae ad sententias de vitae rerumque humanarum fragilitate tritissimas pertinet, omnino aspernatus animos vehementius permoveat et in eis voluntatem maiores aequandi exsuscitet.

Platonis igitur Menexenus cum Lysiae epitaphio comparatus quâ ratione differat ab eo, qua congruat, cognosci facile potest. Sequitur, ut quo consilio Menexenus sit scriptus, diligentius quaeratur, qua de re viri docti quamquam non idem sentiunt, tamen in hoc plerumque consentiunt, in exarando dialogo Platonem id plurimum egisse, ut demonstrativum illud eloquentiae genus eo tempore comprobatum eosque, qui talibus orationibus componendis operam navabant, eluderet. Ac profecto, si quis meminerit, quam acerbe philosophus in Gorgia

Phaedroque decem annorum spatio scriptis, eloquentiam civilem eiusque adsentatores perstringat, huic sententiae aliquid tribuendum esse concedet. Nam in utroque artem rhetoricam magis speciosam et falsam quam veram et incorruptam graviter reprehendit, qua re factum est, ut cognomine Leontini, qui princeps istius artis habetur, alterum librum appellaret, in altero Lysiae ad eiusmodi studia maxime propensi causas levissimas refelleret. Adeo Platonem ab arte rhetorica, in qua tunc se iactabant oratores, abhorruisse constat, ut eam non artem sed meram exercitationem fraudemque callide dissimulatam putaret, qua mentes ab altiore veri cognitione remotae, quid esset utile ac probum non intellegerent nedum ad pulcrum honestumque converterentur. Nec mirum hoc in philosopho, qui ab omni ostentatione alienus summoque praeditus ingenio quidquid ad auram populi captandam spectabat, penitus contemnebat. Accessit, quod orationum scriptores cum in eadem materia versarentur propter novi reperiendi difficultatem plurimum laboris in verbis ornandis ac dicendi figuris multifariam usurpandis ponebant nec quicquam magis curabant, quam ut sententiarum inopia caute occultata inani dictionis splendore animos paulisper et oblectarent et tenerent. Quod si contigit eis, ut tali modo populi favorem suaeque artis existimationem sibi parerent, officio satis fecisse vel ipso Pericle, quem in scribendis orationibus aemulabantur, superiores sibi videbantur. Tantum vero aberat, ut via Periclis inita virtutis exemplaribus sincerae propositis civibus prodessent eosque quid patriae deberent, quid maioribus, quid rei publicae, quid universae Graecia, eloquentiae vi docerent, ut vulgus Atheniensium mobile blandimentis allicerent et multitudinis inconstantis potius evaderent servi, quam rectores, magis temporis peracti laudatores quam rerum bene gerendarum auctores. His in oratorum studiis fieri non potuit, quin cupiditate antiqua novo quodam lepidoque modo declarandi solaque gratiae parandae voluntate abrepti ex vetustate recondita multa repeterent, multa nimis depingerent, multa consulto corrumperent, multa, quae minus placerent, velut a consilio diversa prorsus omitterent. Ex quibus ea sunt, quae de primordiis rerum Atticarum fabulosis et origine Atheniensium nobilissima traduntur, quae tanta eos adfecerat sui admiratione, ut si quis civium favori studeret, eam nullo pacto neglegere liceret. Nihil autem oratoribus ampliorem praebuit humana divinis miscendi materiam, nihil iucundius erat Atheniensibus auditu, nihil aptius ad verba luminibus distinguenda mentione certaminum mythicorum, quibus Athenienses antiquitus quasi vindices ac defensores iuris et libertatis fuisse perhibentur, nihil denique ad res in maius extollendas plus valuit bellis cum Persarum rege gestis, in quibus praeclare confectis Atheniensibus inprimis gloriari licebat. Adde, quod rhetores, dummodo consilio ipsorum conduceret, ad arbitrium multa falso explicabant, alia, quibus laus civitatis magnopere diminuebatur, taciti praeterire consuerant et facultatem cives ob voluntatum perversitatem acriter castigandi ex industria fugiebant. Sic Athenienses talibus orationibus depravatos a morum integritate paulatim delabi eamdemque, quam oratores ipsos, nimiam virtutum suarum opinionem habere, simulque his studiis artem rhetoricam a vero seiunctam corrumpi erat necesse.

Quae cum ita sint. qui Menexenum a Platone ad laudatores illos ludificandos esse compositum putant, probabiliter contendunt, nam ut cetera praetermittam, ipsius Menexeni verba Socratem rhetores semper irridere dicentis, eodem respiciunt. (cf. cap. 3 ἀεὶ σὺ προσπαίζεις τοὺς ῥήτορας.) Dein quod pugnas adversus Amazones, Thebanos, Eurystheum factas breviter rettulit, longius autem narraturum se negavit, quoniam a poëtis[10]) satis essent pervulgatae, eas res et luce veritatis carere significavit et Lysiam de fabulis vi quadam et incitatione latius

[10]) cf. Euripides in Heracl. et supplic.

disserentem illusit. Ea quoque, quae de fortitudine defunctorum eximia Lysias pluribus verbis commemorat, apud Platonem non desunt, sed rebus singulis brevissime recensitis in posteriore sermonis parte leguntur, ubi ad ea, quae praecedunt, strictim repetenda minus displicent. In utroque tamen ferri possunt, quod omnium rerum ab Atheniensibus bene gestarum narrationem unius orationis modum excedere facile credideris. Eo vero magis istam, de qua supra monui, veritatis superlationem identidem cum in rebus exponendis tum in verbis deligendis adhibuit, veluti non tam vere quam ridicule copiarum Persicarum praefectos iure iurando obstrictos, ne quis Eretriensium elaberetur, tamquam indagine manibus militum consertis hos in angustias compulisse memoriae prodidit. (cf. cap. 10. ἐπὶ τὰ ὅρια ἐλθόντες τῆς Ἐρετρικῆς οἱ στρατιῶται αὐτοῦ, ἐκ θαλάσσης εἰς θάλασσαν διαστάντες, συνάψαντες τὰς χεῖρας διῆλθον ἅπασαν τὴν χώραν, ἵν' ἔχοιεν τῷ βασιλεῖ εἰπεῖν, ὅτι οὐδεὶς σφᾶς ἀποπεφευγὼς εἴη.)[11]) In hoc etiam vehementer errat orator, quod a nullo poëtarum bella Persica fuisse celebrata contendit, cum Phrynichus in Phoenissis, quam fabulam Themistocles in honorem suum agendam curabat, et Aeschylus in Persis, tragoedia clarissuma neque tunc in animis hominum oblitterata, civibus imaginem aetatis praestantissimae luculentam proposuerint, neque Pindarus Simonidesque, lyricorum principes, certamina illa, quae dudum ex libro Herodoteo innotuerant, in carminibus efferre desierint.

In eis, quae post confecta Persarum bella gerebantur, explicandis quam perverse, quam incuriose, quam inique auctor se gesserit, pluribus locis evinci potest. Primum enim cum Athenienses solo libertatis comparandae servandaeque studio, qua sententia totam orationem singulasque partes contineri patet, contra barbaros et Graecos dimicasse dicit, hoc cum certa disceptandi ratione parum congruit. Potius Athenienses post tot tantasque victorias, sicut consuetudo fert, dominandi quadam dulcedine pellectos cum Persis conflixisse civitatibusque Graecis vel eorum potentiam aegre ferentibus vel arrogantia offensis bellum intulisse scimus. Valde licet ex Graecis multi, qua celeritate Atheniensium res ex parvis principiis adeo effloruissent conspicati, opes eorum attritas voluerint, tamen illi magis suae fortunae metuentes quam invidia moti perniciosis eorum consiliis obstiterunt. Dubitari porro nequit, quin domesticis Atheniensium dissensionibus plurimum tristissimi belli Peloponnesiaci exitus sit tribuendus, sed blandientis erat oratoris ac vera dissimulantis profiteri, contemptis hostibus, qui magna fortitudinis prudentiaeque documenta dedissent, ne ab universis quidem hominibus rem publicam victam fore, si cives inter se concordes fuissent. (cf. cap. 14. τῇ δ'ἡμετέρᾳ αὐτῶν διαφορᾷ ἐκρατήθημεν οὐχ ὑπὸ τῶν ἄλλων· ἀήττητοι γὰρ καὶ νῦν ὑπόγε ἐκείνων ἐσμέν, ἡμεῖς δ'αὐτοὶ ἡμᾶς αὐτοὺς καὶ ἐνικήσαμεν καὶ ἡττήθημεν.) Nimiam sane iactationem olent verba Socratis proeliorum in Hellesponto navalium mentionem facientis, quibus proeliis Athenienses omnes hostium naves cepisse dicuntur, cum Lacedaemoniorum classem Chiis Lesbiisque, qui defecerant, submissam adorti decem eorum triremes easque vacuas interciperent.[11]) (cf. Thuc. VIII, 9 sqq.) Mirifice tum res non multo post gestas augeri et amplificari adparet. Quamquam enim apud insulas Arginusas Athenienses victoriam ex Lacedaemoniis reportaverant, qui belli veteris obliti nec inhonestas artes aspernati cum Persarum rege foedus inierant, tamen multum aberat, ut occiso Callicratida navibusque adversariorum partim captis partim depressis reliquum bellum profligatum videretur. Quod quidem tunc omnes Graeci contra Athenienses concitati collectique fuisse perhibentur, non minus veritati repugnat, quam quod ineunte bello Peloponnesiaco

---

[11]) cf. Her. III, 698 D. Quod in Menexeno ad ferociam Persarum notandam pro certo statuitur, in Legibus ita iudicio meo refertur, ut in dubium magis vocetur quam rei fides habeatur ineptae. cf. III, 698 D. ὁ δὴ λόγος εἴτε ἀληθὴς εἴτε καὶ ὅπῃ ἀφίκετο. [11]) Fortasse Platonis locus ad proelium navale apud Cyzicum commissum referendus est, de quo Xen. Hell. 1, 1. 18 accuratius egit.

totius Graeciae copias in Atticam invasisse dicit, cum Thucydides, auctor gravissimus, Atheniensium socios enumeret haud contemnendas (cf. II, 9) et utrarumque partium vires primo quidem tempore sibi pares, posteriore tot incommodis acceptis illorum valde diminutas esse confirmet.

In eis, quibus Socrates vel amplificando patriae laudem falsam affinxit vel exornando parva nimis illustravit, adhuc versato mihi nonnulla quaedam peragere non alienum videtur, in quibus res notissimas adeo confudit, ut rerum Atticarum scientiam homini sapientissimo derogaveris. Veniam ei fortasse dandam levioremque memoriae lapsum habendum esse duco, quod post adversum proelium Tanagraeum pugnam Oenophytensem, quae diebus sexaginta duobus post fiebat, tribus diebus intermissis commissam esse dicit, quapropter haud scio an Diodorus, (cf. XI, 80 sqq.) ut Platonis verba cum dissonis scriptorum testimoniis conciliaret, duo proelia Tanagraea fuisse statuerit. Maioris certe momenti est, quod cap. 13 ex Lacedaemoniis apud Pylum Sphagiamque, oppidum vicinum, repulsis et Sphacteriae captis pacem illam suasore Nicia inter utrosque convenisse contendit (cf. Thuc, IV, 8 sqq.) eamque velut praeclarum humanitatis ac benevolentiae specimen ab Atheniensibus datum proponit, proinde ac captivos clementer tractaverint ac non potius hostes inclusos salute iam desperata extremum conari coëgerint.[12]) Quantis autem cladibus paulo post Athenienses apud Delum Amphipolinque cum Thebanis et Lacedaemoniis congressi sint affecti, ut opibus exhaustis sua sponte pacem requirerent, orator silentio transmittit. Dein quae de Sicula expeditione breviter monentur, tam falsa, tam obscura sunt, ut paene dubites utrum magis inscitiam an temeritatem reprehendas. Primum enim recte quaeritur, qui fieri potuerit, ut Socrates bellum Siculum a Peloponnesiaco, cuius est pars necessaria, seiunxerit, tum magis etiam miretur quispiam, quod ea, quae decem annorum spatio inter se distant, in unum coniecta sic miscuerit, ut rerum gestarum narratio vehementer a vero dissentiat. Duas expeditiones Siculas fuisse constat, alteram Lachete, Sophocle, Eurymedonte ducibus, cum Athenienses Leontinis per Gorgiam eiusque collegas auxilium petentibus contra Syracusanos opitulati sed a cunctis Siciliae civitatibus Hermocratis opera consociatis repulsi non multum proficerent;[13]) alteram, quam Alcibiade auctore maximoque apparatu sumptuque immenso tamquam victoria iam explorata pro Segestanis Athenienses suscepisse, nemo est qui nesciat. (cf. Thuc. IV, 8) Neque vero dubitari poterit, quin priora Socratis verba confirmantis pro Leontinorum libertate Athenienses propter ius iurandum classe profectos in Sicilia plurima ibi posuisse trophaea, pertineant ad expeditionem priorem, quae tum sequuntur, (c. 14 διὰ δὲ μῆκος τοῦ πλοῦ εἰς ἀπορίαν τῆς πόλεως καταστάσης καὶ οὐ δυναμένης αὐτοῖς ὑπηρετεῖν, τούτῳ ἀπειπόντες ἐδυστύχησαν) ad posteriorem eamque infelicissimam sint referenda. Minime quidem displicerent, vel quae de moderatione Atheniensium post exulum in patriam reditum singulari narrat et adeo describit, ut poëtam audire nobis videamur, (c. 14 ἔκ τε γὰρ τοῦ Πειραιῶς καὶ τοῦ ἄστεος ὡς ἀσμένως καὶ οἰκείως ἀλλήλοις συνέμιξαν οἱ πολῖται, καὶ παρ' ἐλπίδα τοῖς ἄλλοις Ἕλλησι τόντε πρὸς τοὺς Ἐλευσῖνι πόλεμον ὡς μετρίως συνέθεντο sqq.) modone in laudandis civibus afferre omisisset, inimicorum duces, qui Eleusinem se receperant, in colloquium a victoribus allectos crudeliter esse trucidatos cf. Xen. Hell. II, 4. 43: vel quae de foedere cum potentissimis Graeciae civitatibus in Lacedaemonios icto ac pace per Antalcidam confecta dicit, modone res ab aliis aliter verius tamen explicatae perverterentur. Non

---

[12]) cf. adn. Stallb. in editione Menexeni pag. 65. [13]) Initio quidem expeditionis proelio ad Mylas facto non sine magna hostium clade victoria potiti Syracusanos pugna navali vicerunt neque multo post in oppugnanda Messana, Leontinis in fugam versis, adversarios ex oppido egressos reppulerunt, repulsos intra moenia concluserunt, (cf. Thuc. III, 86 sqq. IV, 59—65) atque ut superiores ex eo certamine discessisse viderentur, trophaeo constituto Rhegium redierunt.

habeo, quod res ab his contra Persarum regem gestas copiosius exponam, cum nemo fere ignoret, quanta felicitate Lacedaemonii Persas Thimbrone, Dercyllida maximeque Agesilao ducibus debellaverint, ut non multum abesset, quin Artaxerxis regnum omnino tolleretur. Ratus igitur fore ut ex instantibus undique periculis facilius expediretur, si Lacedaemoniis in ipsa Graecia hostes exorirentur, pecuniae largitione consecutus est, ut Corinthii, Boeoti, Argivi, Thessali regis opibus confisi bellum, quod Corinthium solet adpellari, moverent, quo bello Athenienses ita non abstinuerunt quamvis graviter afflicti, ut debilitatis adversariis eo celerius detrimenta superiora se resarturos sperarent. Accidit vero, quod Artaxerxes voluerat. Agesilaus a Lacedaemoniis apud Haliartum devictis in medio cursu rerum praeclare gestarum ex Asia reverti iussus quamvis apud Coroneam hostium conatus adeo rediddisset irritos, ut a consiliis suis confestim desisterent, tamen prohibere non potuit, quominus Conon classe Lacedaemoniorum apud Cnidum dispersa pristinam Atheniensium dignitatem restitueret. Quibus factis pax illa tristissima proditionis nota satis insignita inter Lacedaemonios imperio suo metuentes et Artaxerxem rebus illorum efflorescentibus invidentem convenit, qua pace tam iniqua quam flagitiosa Graeci Asiam incolentes iterum sub Persarum potestatem sunt redacti. (cf. Xen. Hell. V, 1.) Errat igitur orator, cum Athenienses ipsorum utilitatis ratione non habita tantum opressarum urbium misericordia captos et iniuriarum recentium immemores ceteris contra Lacedaemonios adiunxisse se dicit; nec illud magni refert, quod publice non submissos esse praedicat, qui Persis laborantibus subvenirent, ne priorum victoriarum splendor foede macularetur, quoniam Conon ipsis consentientibus bellum maritimum molitus Euagorae Pharnabazique auxiliis Lacedaemoniorum navibus cladem intulerat et in reficiendas Athenarum opes plurimum valuerat. At nihil magis videtur mirum, nihil cum vero magis discrepat, quam quod Athenienses, cum omnium soli a se impetrare non possent, ut in pacis Antalcideae conditiones iurarent Graecosque Persarum imperio traderent (cf. cap. 17 μόνοι δὲ ἡμεῖς οὐκ ἐτολμήσαμεν οὔτε ἐκδοῦναι οὔτε ὀμόσαι) sicut antea destitutos ac turpiter desertos esse contendit. Nullo autem pacto haec cum Xenophonte congruunt, (cf. Hell. V, 1. 32) cui maximam fidem habendam equidem censeo, qui conditionibus cum Tiribazo constitutis praeter Thebanos vel iniqua pacis faciendae ratione laesos vel, id quod veri similius est, civitates ex foedere sibi subditicias reddere nolentes omnes coniurasse memoriae prodidit. Concedendum quidem est, Athenienses, quibus post Cononis victoriam principatus recuperandi nova spes affulgere coeperat ac salus coloniarum in propinquis insulis, Lemno, Imbro, Scyro, conditarum inprimis curae erat (cf. Xen. Hell. IV, 8. 15) invitos ad regis praefectum delegasse, qui consiliis interessent, ac necessitate coactos, cum Tiribazi postulatis resistere non auderent, ceterarum civitatum voluntati fuisse obsecutos. Quae Platonis sententia cum Xenophonte comparata quoniam redicula fere atque ineptior existumabatur, quam ut in philosopho ferri posset, ad alias res haec verba remitti voluerunt, ex quibus Schoenborn.[14]) ut est Platonis vindicandi cupidissimus, non sine aliquo ingenii acumine respicit ad ea, quae in Xenophontis historia Graeca III, 5. 2 traduntur. Qua de causa eas foederis conditionis intellegendas esse putat, quas auctore Tithrauste Timocrates Rhodius ad bellum Lacedaemoniorum confestim suscipiendum cum nonnullis Thebanorum, Corinthiorum, Argivorum principibus pepegisse perhibetur. In his vero conditionibus Athenienses per se ipsos ad debellandos Lacedaemonios pecunia non accepta promptos partem non habuisse Xenophon l. l. pro certo affirmat, ut illi Graecos Persis prodidisse, Athenienses ab hoc consilio abhorruisse putarentur. Sed praeter-

---

[14]) Ueber das Verhältniss von Platons Menexenus zu dem Epitaphios des Lysias. Guben 1830.

quam quod de Graecis proiciendis in hoc foedere nihil scriptum videmus, civitates regis largitione corruptas Artaxerxi iure iurando se obstrinxisse nusquam memoratum est, immo tunc quidem Persas in summum fortunae discrimen adductos id unum egisse adparet, ut imminentibus periculis quam primum liberarentur. Probabilius fortasse iudicavit Kruegerus,[15]) qui non ad ipsam Antalcidae pacem sed ad ea, quae paulo ante facta sunt, Platonis verba rettulit, nam quas pacis conditiones turpissimas Artaxerxem postea Graecis imposuisse Xenophon narrat, easdem Tiribazo iam prius ab Antalcida oblatas fuisse scimus. (cf. Xen. Hellen. IV, 8. 14 sqq.) Postremo non aperte perspicitur, quo iure milites Atheniensium bello Corinthio Lechaei per proditionem interfecti dicantur, nisi vero quis exules Corinthios inimicitiis aliorum patria depulsos proditores denotat, quia domum redeundi desiderio commoti ad Lacedaemonios confugerunt eisque portus noctu potiundi potestatem fecerunt, cum ipsi bello ineunte foedus cum Boeotis eorumque sociis initum improbassent nec umquam civibus prudenter suadere destitissent, ne quid in Lacedaemonios amicos veteres susciperent. (cf. Xen. Hell. IV, 2 et 4 37 sqq.)

Qui Platonem ad eloquentiam, qualis eo tempore vigebat, acriter perstringendam Menexenum scripsisse nituntur, eos a recto iudicio non aberrantes ad explanandam quaestionem pro suis partibus aliquantum profuisse mea quidem sententia satis elucet. Quis enim credat, philosophum, cui nihil magis erat odio ac derisui quam inanis illa sophistarum scientia, unde ars rhetorica profecta paulatim male degeneraverat et ad corrumpendos Atheniensium mores multum valuerat, istiusmodi re vera dare voluisse ingenii specimen, vel quis sibi persuadeat, Platonem cum oratoribus, qui rationem a Siculis traditam secuti nihil aliud quaerebant, nisi quo modo auram popularem adipiscerentur, descendisse in certamen ipso indignum? Quis denique suspicetur, eum qui licentiam plebis immodicam detestatus praeclaros illos aetatis superioris homines de re publica bene meritos verbis castigaret, mutata voluntate blandiendo vulgi appetivisse favorem? Talibus enim orationibus civium animos laudes suas audientium cum delectari non confirmari haud nesciret, quemadmodum civitas ad virtutem patriaeque amorem excoli ducique posset, in altera Phaedri parte dilucide docuit. Iam si quis eam doctrinam ex praeceptis philosophiae repetitam cum Menexeno contendat, in hoc inveniri nihil perspiciet, quod cum Platonis de iusta eloquentiae ratione sententia conveniat, immo contrarium, ac quod ibidem ab oratore perfecto et in Gorgia postulandum esse censet. Neque vero solum eis, quae supra dixi, quid de rhetorum artibus sentiret, definite ostendit, sed magis etiam imitanda eorum ratione, quae tam vulgaris erat omnibus, ut exceptis singulis laudationes paulum inter se differrent. At ne in ea quidem re videtur acquievisse, sed quo manifestior illusio fieret, alia, in quibus rhetores plerumque versari consuerant, dicendo auxit et sustulit altius, alia, quae velut a consilio remota taciti praeterire solebant, vel adeo amplificavit, ut longe modum excederent, vel ita confudit et perturbavit, ut verae rerum gestarum rationi nequaquam responderent. In parvis licet, quae fidem historiae offendant, oratori facilius ignoscas, quoniam in compluribus quoque sermonibus, Parmenide Timaeo Critia, reperiuntur, quae cum temporum ratione clare repugnent, homines tamen minus diligenter et accurate computantes fugiant; quod autem res nec pusillas nec vetustate reconditas nec in memoria plurimorum extinctas, ita pervertit, ut aequalibus indignationem ac risum excitaret legentibus, Platoni certe ignosci nequiret, nisi quid in componendo Menexeno sibi voluisset, hodie satis adpareret. Itaque factum est, ut Plato, quia civilem illam eloquentiam rei publicae perniciosam valde contemnebat, ineptiis nugisque multifariam superaret cum ceteros oratores tum

[15]) Hist. philolog. Studien pag. 226 sqq.

Lysiam, qui cum potius ad ornandam dictionem quam ad copiam materiae tractandae incumberet, in rebus enarrandis minus peccavit et in singulis disceptandis cautius se gessit. Velut, ne plura proferam, secus ac Plato belli Corinthii Athenienses participes fuisse monet, quod eos quoque, quibuscum prius inimicitias habuerant, a Lacedaemoniis defendi quam sub potestatem horum redigi maluissent. (§. 68—71) Nec imprudentius pacem istam Antalcideam pro clade Atheniensium putandam esse statuit, qua pace ipsi quidem in angustias et calamitatem essent reiecti, Peloponnesii sub invisam Lacedaemoniorum potestatem rediissent, cum Socrates ea constituta non sine gloria illos suo impulsu a bello recessisse censeat. Quibus si causis illud etiam additur, quod Steinartus bene animadvertit, ea sententia, opinor, valde confirmatur, in Menexeno scribendo nihil aliud spectasse Platonem, nisi ut rhetores eorumque dictionem eisdem figuris saepe repetendis iniucundam ac fastidiosam ludibrio haberet. Sic ut uno pro multis utar exemplis dicendi genus a Gorgia Lysiaque sexcenties usitatum apud Platonem pluribus locis agnoscitur, nec desiderantur ἀντίθετα, in quibus ad contraria contrariis opponenda utrumque studiose versatum esse patet.[16])

At quamvis Platonis libellus irrisionis speciem prae se ferat, dubitari tamen nequit, quin philosophica quaedam ratio a Socraticis profecta praeceptis in eo regnet, quae non solum in partibus distribuendis verum etiam in sententiis aliquot philosophiam Socratis moralem redolentibus apertissime cernitur. In primis enim non male videtur egisse, quod Thucydidis dispositionem secutus — non quo par ei vellet existumari sed quia melius explicari materia non poterat — de rebus antiquissimo tempore gestis ita locutus est, ut Athenienses a primordiis praestantissima indole praeditos ad exercendam virtutem quasi divinitus adductos esse ostenderet. Habuit certe, quod fabulas, in quibus Athenienses principes agrum coluisse feruntur, in oratione levius attingeret haud ignarus, quantum ad mores emendandos vitamque civilem conformandam agricultura valeret.[17]) Sic quibus dei praeceptores ac magistri fuissent, fieri non potuit, quin ipsi ceteros homines cum aliis rebus tum rei publicae commode instituendae cognitione antecellerent. Neque minus ea, quae philosophus in hanc partem disputavit, cum eis bene concinunt, quibus Athenienses non aliunde profectos in Attica consedisse sed in ipsa terra genitos legitimos possessores ac perpetuos evasisse semperque gentem retinuisse puram memoratur. Quae quidem opinio et oratoribus et Thucydidi Platonique (cf. Thuc. 1,2 τὴν γοῦν 'Αττικὴν ᾤκουν οἱ αὐτοὶ ἀεί, II, 36. cf. Plat. Crit.) tam probabilis visa ut utrique pro certo constaret, multum effecit, quo manifestius argumentaretur, qui factum esset, ut in Atheniensibus maxime libertatis publicae studium oriretur nec umquam, quamvis saepe domesticis seditionibus essent perturbati, aequalitatis omnium parandae cupiditas prorsus extingueretur, cum in aliis Graecorum civitatibus ex gentium discrimine vel unius hominis dominatio vel paucorum imperium velut in Peloponneso nimia Doriensium potentia enasceretur. Tum certaminibus illis, quorum antea mentionem feci, breviter peractis ad bellorum Persicorum narrationem transgressus auctor sibi constitit, quod virium hostilium descriptionem praemittendam censebat, qua res ab Atheniensibus gestae splendidius exhiberentur et insignes eorum virtutes in amore patriae positae clarius cernerentur. Quae cum historicorum libris et artificiosis monumentis omnibus satis innotuissent, Plato non tam elaboravit, ut singula quaeque legentibus referret, quam ut, quid in communem totius Graeciae salutem perfecissent Athenienses, denuo commoneret. Etenim non solum ipsi gloriam immortalem fortitudine sibi pepererunt, verum etiam postquam ingentes Persarum copias vinci posse docuerunt, ceteris aliquamdiu cunctantibus postremo pugnandi

---

[16]) cf. Steinartus, qui adn. 50 praefationis diligenter collegit. [17]) cf. Isocrat. pangeyricus §. 28 sqq.

ardorem rebus suis iniecerunt et praeiudicio suo adepti sunt, ut pleraeque certe civitates sua incolumitate suisque commodis Graeciae libertatem pluris ducerent. Neque prius, dum eae confectis bellis vel propter inertiam quamdam vel remissionem quieti se tradunt, a bello desistendum esse putaverunt, quam insulis imperio regis exsolutis opus praeclare susceptum plane peregissent. Sic contigit Atheniensibus, ut Socraticum illud cunctis divitiis virtutem esse praestabiliorem factis comprobarent. Deinde quae Plato de rei publicae sapienter institutae forma cap. 8 disseruit, praecipue cadunt in Socratem, quem magis optimatium quam plebis potentiae addictum fuisse non ignoramus, licet, quam philosophus dicit ἀριστοκρατίαν, idem fere sit, quod apud Thucydidem mutato tantum nomine tamen verius δημοκρατία nominatur. Itaque, qua fuit erga nobiles voluntate, quorum multi Socratem saepenumero disputantem audiverant, in oratione non praetermisit, quin civibus benigne suaderet, ut memoriam eorum, qui discidiis in civilibus utrimque miseram mortem oppetivissent, piis animis recolerent et in funeribus publicis manes eorum votis et sacrificiis reconciliandos curarent. Inde facilius quoque cognoscitur, cur de Lacedaemoniis, quos Atheniensium inimicissimos imperandique cupidissimos et suis emolumentis inservientes semper se praestitisse libere professus est, multo ceteris oratoribus clementius iudicaverit.

Nusquam vero disciplinae Socraticae rationes magis extant quam in ultimis dialogi partibus, in quibus orator defunctorum ad parentes, liberos, uxores superstites mandata perferre se fingit. Recte videtur is locus comparandus cum Critone, ubi Plato leges ipsas apud Socratem dicentes ac verbis aptissimis eum confirmantes facit, quarum praeceptis et admonitionibus resistere se posse negat. Velut in Critone sic in Menexeno, in quo varietas illa scenica desideratur, tali modo dictio fit gravior et magis oratoria, ut tenor aequabiliter servatus suaviter distinguatur ac totus dialogus bene absolvatur. Simul haec mortuorum sermocinatio, quam Graeci προσωποποιίαν appellant, Platoni peropportunam obtulit occasionem, sententias quasdam philosophiae Socraticae maxime proprias inserendi. Quibus singulae adlocutionis partes ita refertae sunt, ut ab epitaphii Lysiaci peroratione valde differant atque cum potius ad animos confirmandos et consolandos quam ad permovendos et confundendos pertineant, querellis ac lamentationibus careant. Socratis, opinor, mens spirat in eis verbis, (cap. 19) in quibus liberi, quidquid agunt, cum virtute agere iubentur, vel in quibus omnes opes a virtute secunctae pro malis habendae dicuntur, — τούτου (scil. μετ' ἀρετῆς ἀσκεῖν) λειπόμενα πάντα καὶ κτήματα καί ἐπιτηδεύματα αἰσχρὰ καὶ κακά — nihil porro magis est doctrinae Socraticae, quam omnem cognitionem a iustitia reliquisque virtutibus separatam malitiam videri non sapientiam, nihil magis cum Socratis ratione convenit illis, quae de laudibus patrum ad filios transmissis proferuntur, (εἶναι μὲν γὰρ τιμὰς — εὐδοξιῶν) proxime autem ad doctrinam Socratis accedunt, quae cap. 20 de vitae statu absoluto, quam Graeci vocant αὐτάρκειαν, et viro sibi sufficiente scripta reperiuntur. Quae cum ita sint, argumentum Menexeni non in sola rhetorum irrisione consistere, qui laudationum funebrium habendarum occasione data civium studiis et cupiditatibus humiliter blandiri consuerant, sed auctore Stallbaumio cum priore Socratis in Phaedro oratione comparandum Platonisque in expoliendo libro consilium sic statuendum esse censeo, ut exemplo illustri proposito et quam parvi sint eiusmodi scriptiones aestimandae doceat, et ratione materiae tractandae magis perfecta dilucidaque, qui populus ex eis aliquantulum capiat, utilitatis ostendat.

Quamquam igitur non desunt, quae philosophiae Socraticae propria in compluribus Platonis sermonibus dispersa inveniantur, Menexenus tamen ab his, quos eodem fere tempore scriptos esse constat, libris tam longe multis in rebus recedit, ut eis par existumari nullo

pacto queat et ad quemlibet deteriorum potius hominum quam ad philosophorum veterum principem deferendus videatur. Quam ob rem a viris doctis et prius in utramque partem vehementer disceptatum est et hodie quoque disputatur, Menexenus Platoni adtribuendus an propter causas vel ex genere scribendi vel ex ipsa sententiarum ratione sumptas omnino sit abiudicandus. Qui Platonem sermonis auctorem esse volunt, ea tamen conditione, ut illud, quod monui consilium concedatur, certissimis antiquorum scriptorum testimoniis nisi fidem eorum nequaquam in dubium vocandam arbitrantur. Ac primum quidem Aristoteles, summus Platonis discipulus, ita dicit, ut Menexenum in corpus librorum Platonicorum receptum conspexerit, utitur enim eadem dicendi formula, qua ex reliquis dialogis verba Socratis afferri solent (cf. Arist. Rhet. I, 9. λέγει Σωκράτης ἐν τῷ ἐπιταφίῳ) id quod sane non fecisset, si Menexenum spurium falsoque Platoni adscriptum duxisset. Idem conicitur ex binis Dionysii Halicarnassensis Ciceronisque locis, (cf. de admirabili vi Demosthenis IV, 1027, de compositione verborum V, 116. Cic. orat. c. 44, quaest. Tusc. V, 12) quorum alter scriptores Graecos perquirendi studiosissimus habetur, alter certe rem vulgo traditam bona fide non reiecit: idem ex Plutarcho, homine cuiusvis scientiae peritissimo, evidenter perspicitur. Sunt autem, quibus illa scriptorum gravissimorum testimonia non tantum valeant, ut eis adsentiantur, sed certis quibusdam causis moti a se impetrare non possunt, ut Platoni Menexenum adsignandum credant. Inveniuntur nimirum multa, quae cum Platonis praeclara disputandi arte, in sermonibus ingeniose conformandis maxime conspicua, cum moribus et indole ab omni plebis adulatione prorsus alienis, cum aliis eiusdem auctoris praeceptis plane dissentiant. Qua in re minoris quidem momenti putandum est, quod fabula illa circa deos de possidenda terra certantes antiquitus divulgata in Critia respuitur, maioris certe, quod in rerum gestarum rationibus totiens peccatur, maximi vero, quod Socratem tredecim annis ante veneno interemptum ad habendam orationem tamquam ab inferis exitari iubet, nisi quis forte consilio factum putat, quo manifestior irrisio existeret et acerbior. Quae quaestio cum difficilior sit, quam ut breviter absolvi queat, eam nunc missam facio, nec aliud quicquam adiungo nisi Ciceronis in oratore verba: ne ille quidem haud paulo maior scriptor Plato nec solum in eis sermonibus, qui διάλογοι dicuntur, sed in populari oratione, qua mos est Athenis laudari in contione eos, qui sint in proeliis interfecti: quae sic probata est, ut eam quotannis, ut scis, illo die recitari necesse sit.



Bischof Otto von Bamberg.

Zum 750jährigen Jubiläum der ersten Christentaufe in Pommern.

H. V. Wenn wir alljährlich seit Gründung unseres Gymnasiums an diesem Tage das Andenken an die doppelte Gnade Gottes, welche unserer Stadt zuerst im ganzen Pommerland durch die erste Christentaufe im J. 1124 und ebenso durch die erste Predigt des reinen Evangeliums im J. 1518 zu Theil geworden ist, im Kreise unserer Schule pflegen und erneuern, so hat doch der heutige Tag noch eine ganz besondere Weihe und Bedeutung. Wir feiern heute das 750jährige Jubiläum unseres Ottofestes, unserer ersten Christentaufe. Darum geziemt es sich, daß die herrliche, edle Persönlichkeit des Bischofs Otto von Bamberg, dem wir durch Gottes Gnade die heutige Festfeier nicht nur, sondern all den reichen Segen, der mit dem Christenthum auch über unser Pommerland gekommen ist, verdanken, den einzigen Inhalt und den Mittelpunkt unseres Festes bildet. Freilich ist eine lange Zeit verflossen, seitdem der geweihte Sendbote Gottes mit dem Kreuze Christi in dies Land kam und die Finsterniß des Heidenthums verscheuchte, daß man wohl glaubt, seiner vergessen zu können, aber auf dem Gebiete des Geistes, dem insbesondere unsre höhere Schule zugewandt ist, wissen wir, ist der Glanz seiner Größe durch die Länge der Zeit, auch in diesem dritten Viertel eines Jahrtausends, nimmer verblichen, und wenn es von dem Geiste Gottes heißt, tausend Jahre sind vor Dir wie ein Tag, so vermag auch der nach dem Ebenbilde Gottes geschaffene Menschengeist die Schranken der Zeit leicht zu überspringen und längst Vergangenes anzuschauen als Gegenwärtiges.

Und in der That, wenn wir dem Leben und der Persönlichkeit des verehrten Mannes näher treten, dann begegnet uns eine wunderbare Erscheinung: es ist uns, als hätten wir in einen Zauberspiegel geblickt. All die alten Gestalten jener längst entschwundenen Zeit gewinnen neues Leben; es ist keine Vergangenheit mehr, sondern handgreifliche Wirklichkeit. Es sind dieselben Kämpfe, Gegensätze, Fragen damals und jetzt, nur in veränderter Form und Umgebung. Um so lehrreicher und anziehender wird darum das Bild sein, das aus diesem Spiegel der Vergangenheit uns entgegentritt und uns so nahe gerückt erscheint.

Otto stammte aus einem reichsfreien schwäbischen Geschlecht von frommen, aber nicht eben wohlhabenden Eltern im Albuch, und während sein jüngerer Bruder Friedrich sich dem Ritterdienst zuwandte, war er von früher Jugend dem geistlichen Stande geweiht. Bald hatte er sich bei seiner leichten Begabung die damals übliche wissenschaftliche Bildung der Klosterschule zu eigen gemacht und ging etwa 1080 als 17jähriger Jüngling, wie es scheint, in Begleitung des dorthin versetzten Bischofs Heinrich nach Polen, wo er in kurzer Zeit die slavische Sprache erlernte und nun durch Unterricht an seinem Theil dahin wirkte, daß geistliche und deutsche Bildung, Gesittung und Wissenschaft in diese fernen slavischen Länder verpflanzt wurde. Andrerseits gewann aber auch jenes slavische Land und Volk in den 10 Jahren etwa, die er hier verlebte, so des Jünglings Herz, daß ihm dasselbe nicht nur lieb wie seine zweite Heimath wurde, sondern auch später den Stachel in seiner Seele zurückließ, welcher ihn wie im Kreislauf seines Lebens zuletzt noch einmal hierher zu uns nach Pommern geführt hat. Seine Kenntnisse, seine einnehmende, gewinnende Persönlichkeit und seine geistige Gewandtheit öffneten ihm leicht die Herzen und Häuser der polnischen Großen, deren Kinder er als scholasticus unterrichtete, daß er bald auch dem Herzog Wladislaus Hermann bekannt wurde. Fünf Jahre mochten seit seiner Ankunft vergangen sein, da starb die Gemahlin des Herzogs, Judith, zwei Tage nach der Geburt des später um Otto's Mission in Pommern hoch verdienten Boleslaw III., am Weihnachtsfeste 1085. Und schon war der Einfluß des jungen Geistlichen in Polen so gestiegen, daß der Herzog, wie es heißt, vorzüglich wenn nicht auf seinen Rath, doch durch seine Vermittelung c. 1088 sich mit des deutschen Kaisers Heinrich IV. Schwester, Sophia, einer Wittwe des Ungarnkönigs Salomo, vermählte. Darum stand er nun auch bei der neuen Herzogin bald in hohem Ansehn, daß diese ihn zu ihrem Kapellan ernannte, und so oft es galt, Botschaften oder Geschenke an den kaiserlichen Bruder zu überbringen, vermochte dies keiner so gut und so geschickt wie der junge Otto, so daß auch der Kaiser großes Wohlgefallen an ihm fand und ihn sich zuletzt selbst als bestes Geschenk von der Schwester für seinen Dienst erbat.

Es war also nicht lange nach der Zeit, wo Kaiser Heinrich 1085 von seinem großen Gegner,

Papst Gregor VII., durch den Tod befreit wurde, als Otto von dem Hof des polnischen Herzogs an den Hof des deutschen Kaisers und somit in seine Heimath zurück versetzt wurde. Aber auch des Kaisers Vertrauen erwarb er sich alsbald in solchem Grade, daß dieser ihm, noch ehe er 1090—7 zu seinen neuen Kämpfen gegen die päpstliche Macht nach Italien zog, die Verwaltung über den erst 1097 vollendeten Ausbau seines großen Lieblingsmünsters zu Speier übertrug. Hier hatte Otto Gelegenheit, nicht nur seine unbestechliche Treue, seine große Sorgfalt und Umsicht zu beweisen, sondern auch seinen Kunstsinn zu bethätigen und seine spätere Baulust auszubilden. Sobald jedoch der Kaiser aus Italien zurückgekehrt war, lebte Otto wieder in täglichem vertrauten Dienst und Verkehr mit ihm, indem er nicht nur die Andachtsübungen des trotz seiner geistlichen Kämpfe wahrhaft frommen Kaisers leitete, sondern auch in seiner Kanzlei die wichtigsten Briefschaften und Urkunden ausfertigte und besorgte. Ja, die Gunst und Liebe des Kaisers gegen ihn muß groß gewesen sein, wenn er zweimal seinem Kapellan die erledigten Bischofssitze von Augsburg und von Halberstadt angeboten hat, ohne daß dieser bei seiner demüthigen Frömmigkeit sich solcher Ehre für würdig hielt. Da starb am 11. Juni 1102 der edle, in allen Stürmen und Anfechtungen treukaiserlich gesinnte und bewährte Bischof von Bamberg, Rupert.

Aber ehe wir weiter erzählen, müssen wir uns erst in Kürze die damalige Lage der Dinge in Deutschland vergegenwärtigen. Es waren im Großen und Ganzen dieselben Kämpfe ausgebrochen, wie wir sie in der katholischen Kirche jetzt von Neuem erleben. Als nämlich die christliche Kirche im Anfang des 4. Jahrhunderts durch Constantin den Gr. zur römischen Staatsreligion erhoben wurde, war ihre äußere Organisation im Wesentlichen bereits abgeschlossen und wurde fertig als solche nunmehr in den römischen Staatsorganismus herübergenommen. Die Kirche mit ihrer bischöflichen Verfassung im römischen Papstthum gipfelnd, stand zwar in der Verwaltung der geistlichen Gnadengüter frei und unabhängig auch über dem weltlichen Oberhaupt, war aber in allen äußeren, weltlichen Dingen dem Schutz, der Herrschaft, der Leitung der kaiserlichen Gewalt unterworfen. Das war und blieb für alle Zeit die Theorie. Aber je mehr nun die Kirche des Mittelalters im Laufe der Zeit auf weltlichen Besitz, auf weltliche Güter und Rechte, auf weltliche Macht begründet, in ein fremdes Rechtsgebiet hineingezogen und verwickelt wurde, desto mehr steigerten sich mit Fug und Recht die Machtbefugnisse der weltlichen Gewalt des Kaisers, und für einen Karl den Gr., für Otto den Gr. und für die folgenden deutschen Kaiser war auch der römische Papst mit seinem weltlichen Besitz nichts mehr als der erste Bischof des Reichs unter kaiserlicher Oberhoheit, dessen Wahl von ihnen abhing und ihrer Genehmigung bedurfte. Noch Heinrich III., der selbst drei deutsche Bischöfe auf den päpstlichen Stuhl erhob, sprach auf einem Concil zu Florenz 1055 zu den versammelten Vätern: „Schaut hin auf die h. Majestät der Päpste, deren Autorität zerfließt, wenn sie nicht durch das weltliche Oberhaupt der Christenheit, durch das Schwert und die Macht der Imperatoren gestützt wird." Als nun aber die Kirche in den Dienst der Weltmächte hineingezogen, innerlich und äußerlich immermehr verweltlichte, die geistlichen Stellen durch Simonie vom Kaiser und den weltlichen Fürsten für Geld feilstehend zu weltlichen Zwecken gemißbraucht wurden, geistliche Sitte und Bildung schamlos entartete, alles wahrhaft geistliche Leben fast abhanden gekommen war, da war es Zeit, daß die Kirche auf ihren göttlichen Ursprung und Beruf, auf ihr geistliches Wesen und Leben sich wieder besann und von aller Verweltlichung sich wieder zu befreien versuchte. Nachdem seit dem 10. Jahrhundert bereits das Klosterleben, zuerst in Frankreich in Clugny, gereinigt und verbessert war, unternahmen es nun auch gewaltige Päpste, wie Gregor VII. und Innocenz III., den Augiasstall der Kirche mit unerbittlicher Strenge und Consequenz von allem Unflath zu befreien. Und wer wollte der großartigen Energie, die damals jene doch in ihrer Art zumeist von heiligem Eifer erfüllten Männer in der Kirche entwickelten, seine Anerkennung und Bewunderung versagen? Aber sie vergriffen sich wie in den Zielen, so auch in den Mitteln, und anstatt das Uebel an der Wurzel anzugreifen, die Kirche von Grund aus an Haupt und Gliedern nach dem Worte Gottes zu reformiren oder wenigstens die bald in Lyon entstandene evangelische Bewegung des Petrus Waldus für sich zu gewinnen und zu pflegen, benutzten sie vielmehr den in den Kreuzzügen neu erwachten und entzündeten Fanatismus der abendländischen Christenheit, um auf dem falschen Boden ihrer verweltlichten Macht sich zu befestigen und mit der erhöhten Herrschaft über die Gemüther voller Anmaßung sich auch äußerlich über alle weltliche Gewalt des deutschen Kaisers zu erheben. Die Bekämpfung der eingerissenen Zuchtlosigkeit unter den Geistlichen wurde zur Uebertreibung des Cölibats; die Bekämpfung der Simonie wurde zur Leugnung der kaiserlichen Oberhoheit auch in weltlichen Dingen: der weltlichen Universalmonarchie des deutschen Kaisers trat eine falsche Universaltheokratie des römischen Papstes zuerst als gleichberechtigt und dann nach gewaltigem Ringen als hochüberlegen gegenüber. Und doch so gewaltig, hinreißend, unwiderstehlich im Mittelalter, wo sie an dem

